

monachi, et sanctimoniales, per assumptionem religionis ab Ecclesia approbatae, specialiter eliguntur in sortem seu partem Domini; ergo. Abbas cit. n. 9.

13. *Appellatione tamen monachorum non veniunt clerici saeculares, et cur? Sicut et appellatione monasterium, nunquam veniunt ecclesiae saeculares.* — Appellatione Monachorum non veniunt clericis saeculares, ne quidem in materia favorabili; ut notat Abbas, cap. I. n. 9. de *Jurament. calumn.* Sylvester *¶ Clericus.* 1. n. 2; Belletus, *Disquisit. clerical.* part. I. § 2. n. 9. et alii: ergo nec vicissim nomine Clericum venire debent Monachi, quamvis materia sit favorabilis. Resp. Concesso antecedente, negando consequentiam, et paritatem. Disparitas est, quia monachis competit etymologia nominis Clericorum, ut proxime dictum: e contra vero clericis saecularibus non competit etymologia vocabuli Monachus; uti liquet ex can. *Placuit communi;* 16, q. 1. ubi legitur, quod juxta nominis interpretationem « dicitur Monachus, id est, unus tristis. » Unde eadem ratione (subdit Abbas cit. n. 9.) appellatione Monasteriorum, nequaquam veniunt ecclesiae saeculares.

14. *In materia odiosa clericorum nomine soli inferiores clerici saeculares comprehenduntur; non autem episcopi, canonici, etc.* — Resp. III. Nihilominus in materia odiosa, sive strictae interpretationis, nomine Clericorum soli inferiores clerici saeculares comprehenduntur; non autem episcopi, neque canonici, aut alii in dignitate ecclesiastica constituti: nisi secus exprimat, vel aliunde de opposito constet. Ita Barbosa, cit. lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. xxxix. n. 6. et seqq.; Belletus, d. § 2. n. 4. 5. et seqq.; card. Tuschus, lit. c. concl. 377. n. 4. et seqq.; Fagnanus, c. *Bonae memoriae.* lib. I. n. 12. de *Postulat. praelat.* et alii. Concordant dicta superioris lib. I. tit. II. de *Constitutionibus.* § 17. n. 427. et seqq. et n. 433. et 436. ubi plura huc pertinentia videri possunt.

15. *Idque probatur.* — Conclusio haec desumitur ex illa vulgata reg. 15. jur. in 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Item ex reg. 49. eod. in 6. *In poenis benignior interpretatio est facienda, cum concordantiis.* Accedit ratio: quia in materia restringibili, ubicunque species ponit aliquid ultra genus suum, tunc appellatione generis non venit illa species: atqui in episcopis, canonicis, et aliis in dignitate ecclesiastica constitutis

ponitur, seu reperitur aliquid ultra genus suum; nempe qualitas superioritatis, praecellentiae, seu dignitatis supra simplicem clericatum; ergo. Major est Abbas, et Fagnani, ubi supra: atque desumitur tum ex c. *In generali.* 81. de *Reg. jur.* in 6. tum etiam ex l. *Item apud.* § *Hoc edictum.* ff. de *Injuriis;* ubi ea, quae speciali nota digna sunt, nisi exprimantur, censentur omissa de industria.

16. *Atque declaratur inductione. Episcopi non comprehenduntur sub ulla sententia suspensionis, aut interdicti, nisi exprimantur.* — Id ipsum probatur, atque declaratur inductione. Sic imprimis episcopos, eorumque superiores in materia odiosa, seu poenali, non comprehenduntur nomine clericorum, clare desumitur ex c. *Quia periculosum.* 4. de *Sentent. excommunicat.* in 6. ubi expresse declaratur, episcopos, et alios superiores praelatos, puta archiepiscopos, patriarchas et primates, non comprehenduntur sub ulla sententia suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis expressa mentio habetur: « propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit; » prout loquitur Pontifex ibid.

17. *Secus dicendum de poena excommunicationis, et cur?* — Fatendum tamen, quod cit. c. *Quia periculosum.* de *Sentent. excommunicat.* in 6. procedat quidem in poena suspensionis, et interdicti, de qua loquitur: non item in poena excommunicationis; prout notat Glossa ibid. *¶ Suspensionis,* et Ancharanus n. 1. post Innocentium, Hostiensem, Joan. Andream, Pirhing, eod. tit. n. 196. et alii. Unde episcopi non sunt liberi a poena excommunicationis generaliter lata a canone, vel alias: ipso jure inflicta percussoribus clericorum, can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. et cap. I. juncta Glossa *¶ Praelatus de Homicid.* in 6. et c. *Sciunt cuncti.* 12. de *Election.* in 6. cum similibus. Ratio disparitatis est: quia, licet excommunicatio pluribus bonis privet, quam suspensio vel interdictum? nihilominus « excommunicatio est medicinalis, non mortalis; disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non condemnat, » uti loquitur textus cap. I. de *Sentent. excommun.* in 6. ac proinde nunquam infligitur ad certum tempus; sed praestita satisfactione, atque emenda, protinus relaxari, seu absolvi debet. Secus accidit in suspensione, quae nonnunquam infligitur ad certum tempus, puta ad triennium; ut cap. I. § *fin. de Election.* in 6. et c. *Cupientes.* 16. § *Cæterum.*

eod. in 6. cum similibus. Atque idcirco, quod Papa noluerit episcopos etiam quoad poenam excommunicationis in cit. c. *Quia periculosum.* 4. de *Sentent. excommunicat.* in 6. quinimo ex littera ipsius subtrahendum censuerit ly. *Excommunicationis,* quod in prima editione jam fuerat positum: notat Glossa ibid. *¶ de Episcopis,* et Joan. Andreas in d. c. *Quia periculosum,* citans Hostiensem.

18. *Canonici, et alii in dignitate ecclesiastica constituti, nomine clericorum in materia odiosa non comprehenduntur.* — Deinde, quod canonici, et alii dignitate ecclesiastica constituti, non Clericorum absolute posito, et in materia odiosa, non comprehenduntur; probat Fagnanus cit. n. 12. ex c. *Sedes apostolica.* 15. de *Rescriptis:* ubi dicitur, quod « Majores et digniores personae sub generali clausula non intelligantur includi: et amplius declarat Glossa ibid. *¶ Majores.* Accedit alius textus valde notabilis in c. *Statutum.* 22. de *Election.* in 6. ubi in materia poenali et odiosa, appellatione ecclesiae parochialis, et assumptorum ad eam, non veniunt ecclesia collegiata, et assumpti ad ipsius regimen (id est, canonici ejus) etiamsi sit parochialis: idque propter eminentiam, quam habent canonici supra alios clericos; et quia canonici habent qualitatem collegii supra curam, ut addit Abbas ad rubric. h. t. n. 12.

19. *Neque religiosi utriusque sexus: nisi exprimantur.* — Resp. IV. Insuper in materia odiosa nomine Cleri non comprehenduntur religiosi utriusque sexus: nisi istud exprimat, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. Ita Abbas c. *Non amplius.* n. 3. et Fagnanus, ibid. n. 7. de *Institut.* qui asserunt, quod nomine Clericorum, seu ecclesiarum, non veniant monachi, seu ipsorum monasteria, in stricta materia: alias secus. Suarez, disp. 32. de *Censuris.* sect. 2. n. 17; Layman, lib. I. *Theol. mor.* tract. V. part. IV. cap. IV. n. 3. cum aliis docens, quod interdicto clero, non censeantur interdicti religiosi utriusque sexus, nisi exprimantur, vel ex materia subjecta, vel causa ferendi, aliisque circumstantiis contrarium appareat; contra Navarum cap. xxvii. *Manual.* n. 167. et Covarruviam c. *Alma.* part. II. § 1. n. 8. *¶ Quinto his addendum,* qui volunt, interdictum cleri comprehendere religiosos. Ratio conclusionis est: qui in jure canonico passim ista ponuntur, tanquam diversa: ut can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. et c. *Super specula.* 10. *Ne clerici vel mona-*

chi, etc. juncta rubrica ibid. Quod ipsum aibi saepius contingit, ac praesertim libro III. *Decretalium;* ubi ista clare non ponuntur tanquam diversa, agendo in prioribus titulis de *Clericis,* et tit. XXXI. ac seqq. specialiter tractando de *Regularibus,* ergo in materia, saltem odiosa, nomine clericorum non veniunt religiosi, nisi exprimantur, vel ex subjecta materia secus appareat. Cæterum, qui omnes nomine *Regularium* comprehenduntur, commodius dicitur infra tit. XXXI. de *Regularibus, et transeuntibus ad religionem,* inscripto: solummodo de eremitis remanet specialis difficultas; unde

20. *Eremita, an veniant nomine clericorum? Eremita, qui antiquitus?* — Quæritur II. Utrum eremita veniant nomine clericorum? Ubi prænotandum, quod antiquitus eremita dicebantur, qui primo in solitudine, sive eremo habitabant, ibique duriter, subducto cibo, et in omni rerum asperitate corpus exercendo, sub obedientia episcoporum virtuosae vitae studebant. Et horum vita commendatur in concilio Chalcedonensi, relato in can. *Qui vere.* 16. q. 1. illis verbis: « Qui vere pureque solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. »

21. *Anachoretæ, quid?* — Atque hujusmodi eremita differebant ab anachoretis, et cœnobitis. Nam anachoretæ proprie erant illi, qui sine certa habitatione per deserta vagantes, ne a populis inviserentur, ibi quiescebant, ubi nox ipsos invenisset. De quibus fit mentio in Auth. de *Monachis.* § *Cogitandum.* juncta Glossa *¶ Anachoretas,* collat. I. ibi: « Quos vocare anachoretas, id est, discedentes, et hesychastas, id est, quiescentes, consueverunt. »

22. *Cœnobite ac cœnobium, quid?* — Porro Cœnobite appellabantur illi, qui simul viventes in cœnobiis, seu monasteriis, monachalem vitam ducebant. Et dicebantur Cœnobite, id est, simul viventes: unde originem traxit ly Cœnobium, sive locus religiosorum communem vitam ducentium; de quo fit mentio cap. II. § 1. de *Ordine cognit.* Et hi omnes generali nomine vocabantur Monachi, id est, soli: quamvis magis proprie istud nomen sortirentur, qui in eremis, seu solitudinibus habitarent; ut can. 1. caus. 16. q. 1. et can. *Si cupis.* et can. *Placuit communi,* 16. q. 1; Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.,* cap. XII, n. 13. et seqq. Atque ita procedunt juxta antiqua tempora.

23. *Eremita praesentis temporis, sunt in-*

triplici differentia. — Verum loquendo pro statu presentis temporis, est distinguendum inter eremitas. Nam aliqui horum emittunt tria vota substantialia cujuscumque religionis, ab Ecclesia approbata: et de his fit mentio in cap. un. § fin. juncta Glossa *ŷ. Licentia de Excessib. praelat.* in 6. ubi permittitur religiosis mendicantibus, quod de licentia praelatorum suorum possint vitam eremiticam eligere. Alii vero, quamvis non sint professi alicujus religionis per emissionem trium votorum substantialium; tamen auctoritate episcopi fuerunt deputati pro servitio alicujus ecclesiae, vel oratorii, atque de manibus episcopi susceperunt habitum eremiticum, et sub illius obedientia vivunt: prout multos se vidisse in statu ecclesiastico, et alibi, refert Fagnanus, c. *Nullus*, n. 61. de *Foro compet.* Tandem nonnulli sunt eremitæ, qui non sunt deputati servitio cujuscumque ecclesiae auctoritate praelati ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque pro libito suo deferunt habitum eremiticum. Quibus prænотatis.

24. *Eremitæ quamdam religionem professi, etc., veniunt nomine clericorum.* — Resp. I. Certum est, quod eremitæ quamdam religionem ab Ecclesia approbatam sub emissionem trium votorum substantialium professi, in materia favorabili veniant nomine clericorum; sicque gaudeant privilegio fori, et canonis, cum similibus. Ratio est clara: quia tales eremitæ sunt veri, et proprie dicti religiosi; ut cit. cap. un. de *Excessib. praelat.* in 6. et c. *Privilegium. 4. de Verb. signif.* in 6. In quo posteriori loco monachi, sive fratres in cellis ad monasterium aliquod spectantibus residentes « hoc est, loca secreta et solitaria, quæ ab hominum separata convicti, aut ad contemplandam, et Deo vacandum specialiter deputata, inhabitantes, » non solum reputantur veri religiosi, sed etiam singulari donantur privilegio exemptionis.

25. *Idem dicendum de eremitis, qui de manu episcopi receperunt habitum eremiticum pro servitio alicujus Ecclesiae.* — Resp. II. Illi etiam eremitæ, qui, licet non sint professi cujuscumque religionis, tamen de manu episcopi receperunt habitum eremiticum, atque sub ejus obedientia vivunt deputati pro servitio alicujus ecclesiae, vel oratorii, censentur personæ ecclesiasticæ; sicque in favorabilibus veniunt nomine clericorum. Ita Glossa can. *Qui vere*. 16. q. 1. *ŷ. Vero*, asse-

rens, quod eremitæ privilegium clericorum habeant, licet non renuntient propriis. Fagnanus cit. c. *Nullus*, n. 61. de *Foro compet.* post Cardinal. in Clem. *Per litteras*. n. 9. de *præbend.* Anton. de Butrio consil. 19. n. 19. vers. *Unde ex hoc* et alios. Idem tradit Innocentius c. *Cum monasterium*. 13. de *Election.* dicens, quod, « licet eremitæ possint habere proprium, quia non abrenuntiant, tamen ecclesiasticæ personæ sunt, etc. Quod ipsum tradit Joan. Andreas c. *Cum Monasterium*. n. 12. de *Election.* et Aloys. Riccius in *Praxi*, part. II. resol. 149. n. 1. allegans plurimos alios; atque asserens, esse communem doctorum, quod hujusmodi eremitæ gaudeant privilegio fori; et si delinquant, remittendi sint ad judicem ecclesiasticum.

26. *Hujusmodi vita eremitica, non est mere laicalis, sed ecclesiastica.* — Conclusio hæc desumitur ex cit. can. *Qui vere*. 16. q. 1. Ubi dicitur, quod veri eremitæ (ut puta, recepti auctoritate episcopi, etc.) « Digni sunt convenienti honore: » sicque præferuntur personis mere laicalibus. Accedit, quod can. ult. § *Item Joannes*. 2. q. 7. dicatur, sanctum Joannem Baptistam duxisse vitam eremiticam; ergo hæc non est vita mere laicalis, sed ecclesiastica. Idem amplius probatur ex can. *Duo sunt genera*. 12. q. 1. Ubi illud christianorum genus reputatur inter clericos, « Quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. » Atqui his enumerantur eremitæ, recepti auctoritate episcopi loci ad servitium cujuscumque Ecclesiae, vel oratorii; ergo.

27. *Idem dicendum de tertiariis, religionum, quando sub obedientia praelatorum inserviunt ordini, aut Ecclesiae.* — Et quæ hactenus dicta sunt de eremitis, ex manibus episcopi habitum eremiticum recipientibus, atque sub ejusdem obedientia servitio cujuscumque ecclesiae, vel oratorii incumbentibus: procedunt pariter de tertiariis, seu de illis, qui habitum tertiæ regulæ cujuscumque ordinis de manu praelatorum regularium, ad hoc auctoritate pontificia facultatem habentium recipientes, sub ejusdem, vel episcopi loci obedientia vivunt, atque ordini, vel alteri ecclesiae inserviunt; quamvis tria vota substantialia religionis non emittant, atque idcirco proprium habere possint. Ratio est, quæ supra. Accedit, quod tales eremitæ, etsi non sint proprie religiosi, ob defectum votorum substantialium, præferantur nihilomi-

nus aliquem vivendi modum ab Ecclesia permissum, imo et approbatum: ergo, cum deferant habitum eremiticum, legitima auctoritate a praelatis ordinis sibi concessum, atque a secularium vestibus patenter distinctum; simulque ordini, vel Ecclesiae inservientes, divinis officiis specialiter sint mancipati, nequeunt censeri esse professionis mere laicalis; sicque in materia favorabili veniunt nomine clericorum, gaudentque privilegio tum fori, tum canonis.

28. *Secus dicendum de eremitis, qui sine auctoritate praelatorum, voluntarie deferunt habitum eremiticum.* — Resp. III. E contra eremitæ illi, qui non sunt professi quamdam religionem, neque deputati Ecclesiae servitio auctoritate praelati ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque ad libitum deferunt habitum eremiticum, neququam sunt personæ ecclesiasticæ; nec ullo modo gaudent privilegio clericali. Ita Joan. de Lignano in Clem. *Per litteras de Præbend.* asserens, quod sicuti eremitæ (hujusmodi videlicet) ex utero matris exierunt laici; ita perseverent laici, et sub potestate imperatoris. Cardinalis in ead. Clem. *Per litteras*. n. 9; Riccius cit. resol. 149, n. 9; Fagnanus d. c. *Nullus*. n. 63 de *Foro compet.* citans alios atque asserens, in hoc convenire doctores. Ratio est, tum quia tales non sunt adstricti ulli regulæ, nec subsunt speciali ratione præ laicis episcopo loci, vel alicui superiori regulari; neque ad ullum usum pium, sive ecclesiasticum auctoritate Ecclesiae, hoc est, praelati facultatem habentis, sunt deputati. Quinimo vivunt sicuti locustæ sine rege, ut inquit Glossa can. *Qui vere*. 16. q. 1. *ŷ. Vero*. vagantes hinc inde sine certo duce, atque etiam ad libitum recedentes: unde nihil eis supervenit, ex quo desinant esse meri laici, atque eripiantur a jurisdictione imperatoris; tum quia absurdum foret, quod tales pro sola voluntate sua possent se eximere a jurisdictione sæculari. Abbas c. *Nullus*. n. 10. et Fagnanus, ibid. n. 63. de *Foro compet.* cum aliis.

29. *Nisi alicubi vigeret contraria consuetudo.* — Fatendum tamen, quod si alicubi vigeret consuetudo, ut tales etiam eremitæ gaudeant privilegio fori, aut hujusmodi, dicta consuetudo foret observanda: cum neque sit contraria legi divinæ, aut bonis moribus; nec aliunde irrationalibus, vel a jure communi reprobata inveniatur. Fagnanus, loc. cit. n. 64. allegans alios, atque n. 70, decla-

rationem cardinalium sac. concilii Tridentini interpretum desuper factam adducens.

§ II

DE HONESTATE VITÆ CLERICALIS IN GENERE, ET QUOAD NONNULLA IN SPECIE.

30. *Duplex in clericis requiritur vitæ honestas, interior et exterior.* — Quæritur I. Ad quam generatim vitæ, morumque honestatem clerici obligentur? Resp. I. Generatim loquendo, duplex in clericis requiritur vitæ honestas, interior videlicet, ac exterior. Harum prior consistit in munditia cordis, atque interno cœlestium virtutum exercitio; nam clericos, utpote specialiter in sortem Domini vocatos, atque divino officio mancipatos, « convenit cessare ab omni strepitu temporalium, et deditos esse contemplationi, et orationi, » juxta textum can. *Duo sunt genera*. 12. q. 1. Concordat illud propheticum Isaia cap. LII, 11. *Mandanini, qui fertis vasa Domini*, cum similibus. Exterior autem honestas clericorum consistit præcipue in tribus; videlicet in recta probitate morum, ac honesta conversatione; in honesto, ac decenti habitu; atque in debito, convenientique exercitio officiorum, et negotiorum statui suo convenientium, fugaque non convenientium: de quibus plura singillatim in progressu.

31. *Debentque quoad utramque laicos antecellere.* — Resp. II. Clerici, utpote specialiter vocati in sortem Domini, atque divinis obsequiis mancipati, et in castris dominicis supra alios positi, debent quoad utramque memoratam vitæ, morumque honestatem laicos antecellere. Textus est in can. *Beatus Petrus. § Infames*. 6. q. 1, ubi sanctus Petrus, apostolorum princeps, præcepisse legitur, « Conventorum sacerdotum vita superiorem, sanctiorumque, ac discretam a secularibus, et laicis hominibus esse. » Id ipsum, atque universalliter de omni gradu clericorum loquendo, habetur. c. *Qualis enim*. 8. q. 1. illis verbis: « Unde non solum episcopi, presbyteri, et diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone et scientia præcedant: verum etiam, et inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, acolythi, et omnes omnino qui domui Dei inserviunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam clericos; » cum similibus.